



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Concilium Avgvstdvnense Sancti Leodegarii Avgvstdvnae Civitatis
Episcopi, Circa Annvm Christi DCLXX. Adeodati papae II. Theodorici regis
IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

ADEODATVS C. AVGVSTODVN. CONSTANTINVS POG. IMP.
PAPA. THEODERICVS REX FRANC. 497

ANNO
CHRISTI
670.

CONCILIVM AVGVSTODVNENSE
SANCTI LEODEGARII AVGVSTODVNÆ
CIVITATIS EPISCOPI, CIRCA ANNVM CHRISTI DCLXX.
Adeodati papæ II. Theodorici regis IV.

IN antiquissima collectione Canonum, e bibliotheca ecclesiæ An-
degauensis, producuntur titulo XLIV. qui est de monachis & mo-
nasteriis, Canones aliquot ex hac Synodo, qui omnes ad discipli-
nam monasticam spectant, inscribunturque Canones Augustodu-
nenses S. Leodegarii episcopi. Neque tamen vniuersi eo loco de-
scribuntur, sed quibusdam prætermisssis, hi dumtaxat qui sequuntur.

CANONES AVGVSTODVNENSES
S. LEODEGARII EPISCOPI.

I.

Primus titulus hic est monasticæ disciplinæ, vt
abbates vel monachi peculiare non habeant; & mo-
nachi ab abate vietum & vestitum consuetum ac-
cipiant.

v.

Vt compatres nullus eorum audeat habere.

Iuo part. 7.
cap. 100.

V I.

Vt in ciuitatibus errare non inueniantur. Quod
si causa vtilitatis monasterii, cum literis abbatis sui
ad archidiaconum ciuitatis scriptis dirigantur.

V III.

Vt abbatи suo ac præposito sint obedientes.

X.

Vt nullus familiarites extranearum mulierum
præsumat habere; & qui inuentus fuerit, seuerius
corrigatur. Vt mulieribus in monasterium mona-
chorum nullatenus ingredi liceat.

Statuimus atque decernimus, vt nullus mona-
chum alterius absque permisso sui abbatis præsumat

Concil. Tom. 15.

Rrr

498 ADEODATVS C. AVGVSTODVN. CONSTANTINVS POC. IMP.
PAPA. THEODERICVS REX FRANC.

ANNO
CHRISTI
670.

retinere: sed cum inuentus fuerit vagans, ad cellam propriam reuocetur, ibi iuxta culparum merita coercendus.

X V.

De abbatibus vero vel monachis ita obseruare conuenit, vt quidquid canonicus ordo vel regula S. Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitime apud abbates vel monasteria conseruata, & numerus monachorū Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis.

Sint monachi omnes omnino obedientes, sint frugalitatis decore pollentes, in opere Dei feruentes, orationi instantes, in caritate perseverantes: ne propter negligentiam, aut inobedientiam, hoste circumvente ac rugiente & quærente quem deuoret, cibus efficiantur. Sit eis cor vnum, & anima vna. Nemo suum aliquid esse dicat, sed sint eis omnia communia. In commune laborent, hospitalitatis omnino sint receptores.

Quisquis autem hæc a nobis Deo præcipiente dictata in confirmationē regularem monachorum tentauerit aliqua transgressione cassare, si abbas est, anno uno ei communionis potestas suspendatur; si præpositus, annos duos; si monachus, aut fustibus verberetur, aut a communione, & Missa, & caritate annos tres suspendatur. Iustum enim est, vt subripientia vitiorum semina falce iustitiæ resecentur; ne dum simulatione continentiae nutriuntur, ita siluescant, vt nec securibus excidantur.

Ad Augustodunensem præterea S. Leodegarii Synodum referendus videtur Canon, qui in altera collectione Canonum e bibliotheca S. Benigni Diuisionensis, atque in aliis citatur, appellaturque primus Canon Augustodunensis his verbis:

ADEODATVS C. HERVDFORDENSE. CONSTANTINVS POG IMP.
PAPA. LOTHARIUS REX CANTII. 499

ANNO
CHRISTI
670.

C A N O N .

Si quis presbyter, diaconus, subdiaconus, vel clericus, symbolū, quod inspirante S. Spiritu apostoli tradiderunt, & fidem S. Athanasii præfusis irreprehensibiliter non recensuerit, ab episcopo condemnatur.

N O T A I A C O B I S I R M O N D I S O C I E T A T I S I E S V .

¹ *Concilium Augustodunense.] In codice Bonæuallis, itemque in Andegauensi, Diuionensi & aliis, qui elenchos exhibent episcoporum, quot numero in singulis Synodis fuerint, & Canones ediderint, postremo loco hæc leguntur: Consensus domini Leodegarii episcopi Augustodunensis. Ego Leodegarius, ac si peccator episcopus, cum consensu fratrum meorum polliciti sumus, & perpetualiter placuit obseruandum. Quæ subscriptio videri potest ad Concilium hoc nostrum pertinere.*

ANNO
CHRISTI
673.

CONCILIVM HERVDFORDIAE

CELEBRATVM XXIV. DIE MENSIS SEPTEMBRIS,
anno Christi D CLXXIII. indictione prima, & sub initio
primi anni Lotharii regis Cantii, præsidente Theodoro
Cantuariæ, alias Doroberniæ archiepiscopo:

*In quo ea quæ a patribus transmarinis canonice sunt antiquitus
decreta, custodienda hic ab Anglis decernuntur:
decem vero præcipue.*

ANNO tertio regis Egfridi Theodorus cogit Concilium episcoporum, vna cum eis qui canonica patrum statuta diligenter & noscent, magistris ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ unitati pacis ecclesiasticæ congruerent, eo quo pontificem decebat animo, cœpit obseruanda docere. Cuius synodicæ actionis huiusmodi textus est.

Bed. lib. 4.
cap. 5.

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, regnante in perpetuum ac gubernante ecclesiam suam eodem Domino nostro Iesu Christo, placuit conuenire nos, iuxta morem Canonum venerabilium tractaturos de necessariis ecclesiæ negotiis. Conuenimus autem die XXIV. mensis Septembbris, indictione prima, in loco qui dicitur Herudford. Ego quidem Theodorus, quamuis indignus,

Concil. Tom. 15.

Rrr ij